Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae Smolensciae, Cernichoviae que. Nec non Suecorum, Gottorum Vandalorumque Haereditarius Rex. Significamus praesentibus Literis nostris quorum interest universis et singulis. Licetsi omnibus Civitatum ac Oppidorum Nostrorum incolis et subditis nostris hac communi calamitate pressis compatimur. multo magis illos sublevare et manum eis porrigere debemus, qui in confino Regni Nostri degentes exposcet omni periculo et infelicitati temporum omnes casus et iniurias aequo animo suscipiunt. Euiusmodi conditionem et Statum oppidi Nostri Zator in Palatinatu Cracoviensi siti considerantes libenter levandam inopiam eorum videremus. Supplicationi itaque eorum pro Nundinis obtinendis annuentes eas pro Dominica prima post festum Sancti Joannis Baptistae

secundas vero pro Dominica post prima festum
Sancti Mathaei Apostoli Tertias vero Nundinas pro
Dominica prima post festum Sancti Martini celebran-
das concedimus et declaramus ac perpetuis temporibus
duraturas praementiamus. Citra tamen viciniorum Oppi-
dorum praeiudicium et detrimentum. Permittentes hominibus
cuiusvis Status et conditionis ad praedictum
Oppidum Nostrum Zator pro Nundinis supraspeci-
ficatis venire aequito et secure emere, vendere, res pro
rebus, Merces pro Mercibus permutare ac omnia
et singula negotia licita et honesta agere tractareque
Venientes autem pro Nundinis dicbus supra Memora-
tis tali securitate utentur, qua omnes, et patrocinium
Nostrum suscepti ac salvo Conductu Nostro protecti
uti solere. Exceptio alijs hominibus, quos lex
publica ad commercium hominum accedere solat.
Nihilominus a depretationibus Mercatorum per
Compalatinos loci illius liberos facimus. In cuius
rei fidem praesentes manu Nostra subscriptas
sigillo Regni Nostri communiri iussimus. Datum
Cracoviae die 7. Mensis Octobris Anno Domini
MDCLXVII. Regnorum Nostrorum Poloniae XIX.
Sueciae vero XX. Anno.

Joannes Casimirus Rex

Nundinae Oppido
Zator

Kopia.

6) 1772. Stanisława Augusta dokument, w formacie reskryptowym, wielkości 31:38 cm, obejmuje 6 kartek pergaminowych, związanych na grzbiecie sznurkiem, przy którym wisi w puszce blaszanej pieczęć królewska. Dokument dobrze zachowany. Zapisane prawie 4 kartki zupełnie. Na czwartej kartce zaledwie kilka słów na jednej stronie. Trzy stronice zupełnie czyste. Marginesy czerwone w całym reskrypcie. Tytuł królewski również czerwonym atramentem. Na ostatniej stronicy dopisek Dr. Janoty: Treść zanotowałem, zawiera między innemi tłumaczenie łacińskie przywileju księcia Jana z 1493. –

Stanislaus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae et Czernichoviae.

Significamus praesentibus Literis Nostris, quorum interest universis et singulis; Exhibitas coram Nobis Literas pargameneas a Serm̃is divae memoriae Regibus Poloniae Antecessoribus Nostris Civitati Nostrae Zatoriensi collatas priores nempe Serm̃i Sigismundi Cracoviae Sabbatho in Vigilia SS. Petri et Pauli Apostolorum Anno Millesimo Quingentesimo Vigesimo quarto datuatas Manu Rñdi in Xto Patris Dñi Petri Eppi Premisliensis et Vicecancellarii Rñi subscriptas ac Sigillo pensili Minoris Cancellariae Rñi munitas, continent et in se concessionem piscinarum Civibus Zatoriensibus. Alteras vero Serm̃i Sigismundi Augusti de Dato Lublini Feria Quarta in Octava Purificationis Beatae Virginis Mariae Anno Dñi Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Nono super expulsorium iisdem Civibus Zatoriensibus collatas, Manuque Rñdi in Xto Patris Dñi Valentini Dembinski R.P. Cancellarii subscriptas ac Sigillo pensili in cera rubra hispanica expresso Majoris

Cancellariae Rni firmatas. Tertias autem itidem Sermi Sigismundi Augusti Regis Lublini in Conventu Gnali die Nona Julij Anno supradicto Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Nono super erectionum certarum piscinarum Civibus Zatoriensibus anterius concessarum Serviensium Manuque etiam Rndi in Xto Patris Dni Dembinski R. P. Cancellarij subscriptas ac Sigillo Majoris Cancellariae Regni pensili firmatas, sanas, salvas et illaesas omnique prorsus subscriptionis nostra caesarensi. Supplicatum itaque Nobis est per certos Consiliarios Lateri nostro assidentes nomine et proparte memoratorum Civium Zatoriensium quatenus memoratas Literas seu Privilegia concessa approbare, confirmare et ratificare dignaremur; Quarum tenor et quidem primarum Literarum est eiusmodi. = Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux „Lithuaniae, Russiae, Prussiae Masoviae, Samogitiae „ect. ect. Dominus et Haeres. Significamus tenore praesentium „universis et singulis praesentibus et futuris harum „notitiam habituris. Quia Cives Nostri Zathorienses exhibuerunt coram Nobis Literas in pergameneo sermone Bohemico scriptas, Illris olim Principis Dni Joannis Ducis Oswiecimensis et Zathoriensis eius Sigillo appedenti roboratas, Facultatem per eundem Ducem illis concessas aedificandi duas piscinas in se continentes, salvas integras nonviciatas nec in aliqua parte suspectas, Supplicatumque Nobis ut easdem Literas authoritate Nostra Regia innovare, ac approbare, ratificare et conservare dignaremur. Quas quidem Literas ex ipso Sermone Bohemico in latinum traducere et praesentibus inseri jussimus, sub hoc qui sequitur verborum tenore. „Nos Joannes Dei Gratia Dux Oswiecimensis et Zatoriensis ect. Manifestum facimus tenore praesentium, universis et singulis illas visuris, et legi audituris; Quod Nos cum bona deliberatione Nostra et Consilio de hoc preha, bito, admisimus et concessimus supra piscinam Nostram in nemore seu borra sitam, intelligentes, quod Nos

Civibus nostris Zathoriensibus inundaverimus pascua eorum, piscina Nostra superius descripta eaque re illis ~~admitteremus duas~~ quodlam praejudicium fecerimus. Proinde venientes ad praesentiam Nostram rogaverunt Nos, ut illis admitteremus duas piscinas facere suprascriptam piscinam Nostram in eorum proprijs quercetis Dambrowy vulgo nuncupatis. Nos vero videntes rem iustam admisimus et facultatem dedimus, Proconsuli et Consulibus ac toti Communitati Civitati Nostrae Zathoriensis praesentibus et futuris duas piscinas facere, in eorum propria haereditate, et quercito supra piscinam Nostram in nemore seu borra factam, inter limites Petrowieskie, Gierałtowskie et Rudzkie prout signa vulgo dicta Kopce ostendunt limites ex parte Civitatis Nostrae Zathoriensis penes parietem agrorum Gierałtowskie tria szyna alias scopelli Rudzki Zathoriensis et Petroviensis unus ab alio scopulus passuum Trecentorum ita late, et longe, prout eadem piscinae sua innundatione sese extendere poterint, remisimusque ipsis illic omne Jus Nostrum, et Justitiam quam illic habuimus, vel in futurum habere possemus; Aquam insuper ducere illic permisimus, et vigore praesentium Literarum permittimus quam Nos adduximus de Wieprzówka per haereditatem, et campum Gierałtowskie ad eorum piscinas supranominatas pro eorum necessitate ita, quod eadem aqua ex piscinis ~~patefactis~~ praefatis debeat uti perpetuae et haereditarie; ex eorum vero Piscinis debet haec aqua fluere et transire ad Nostras piscinas ad Borram. Insuper eadem aqua suprascripta debet illis fluere libere ubique omni Impedimento ad praescriptas piscinas eorum quae facerent, et habebunt illas facultatem extollendi, quando necessarium foret, illisque perpetue et haereditarie uti fruendi ~~cum eorum~~ successoribus absque omni impedimento familiae et successorum Nostrorum, etiam admisimus illis modo suprascripto supra easdem duas piscinas, intra eorum limites construere duas piscinas alias Idra stadliska pro fovendo et conservando fetu piscium

praedictarum piscinarum. In his autem Nostris piscinis omnibus et singulis, quae sita sunt, in borra et post Fluvium Skawa propter inundationem praefatae Civitatis pascuarum, concedimus pascua, absque ullo ~~impedimento et~~ solutione et successorum illorum sed libera pascua illis, et successoribus illorum concedimus, absque illorum ullo impedimento et successorum ipsorum. Insuper partem piscinae Nostrae dicti Sitowiec alias Wierzchowiec supradictae Civitati concessimus, et ad usum beneplacitum dedimus et donavimus Jure haereditario perpetuis temporibus, a piscina dicta Gorski ad piscinam Chobotek protendentem. Et in testimonium ac firmitatem hujus rei jussimus praesentibus Literis, Sigillum Nostrum appendi, quae datae et scriptae sunt in Zathor Die Sancti Joannis Baptistae Anno à Nativitate Domini Millesimo Quadringentesimo, Nonagesimo Tertio: Nos itaque Sigismundus Rex Poloniae praefatus supplicationibus praedictorum Civium Nostrorum Zathoriensium annuendo cupientesque eorum Proventus Civiles pro meliori Statu illius Civitatis Nostrae auctum in praescriptas Literas innovari facimus, illasque in omnibus earum punctis, clausulis, et articulis, et toto tenore approbamus, ratificamus, et confirmamus, approbamusque ratificamus, et confirmamus illasque ac omnia et singula in eis contenta robur perpetuae firmitatis habere decernimus, per praesentes. Quibus in Testimonium Sigillum Nostrum est praesentibus appensum. Actum et Datum Cracoviae Sabbato in Vigilia Beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum. Anno Domini Millesimo Quingentesimo vigesimo quarto. Regni vero Nostri Anno Decimo octavo. Petrus Epus et Vicecancell. Ad R. V. Reverendi in Christo Patris Domini Petri Tomicki Cracoviensis et Posnaniensis Episcopi et Regni Poloniae Vicecancellarij Locus Sigilli Minoris Cancellariae Rni pensilis. Alterarum vero Literarum tenor est talis = In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam facta humana quantumvis memorabilia facile intereunt. Solent Reges et principes, quorum volunt esse memoriam perpetuam, ea literarum beneficio et testium annotatione ad posteros transmittere, immortalitati consecrare; Proinde Nos Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae, (Magnus Dux Lithuaniae [w dopisku na marginesie] nec non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae Kujaviae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogithiae, Culmensis, Elbigigensis, Pomeraniae cet. Dominus et Haeres. Significamus hisce Literis Nostris, quorum interest universis et singulis, tam praesentibus, quam futuris harum notitiam habituris. Quia Nos perpendentes sincerum erga Nos, et Rempublicam Regni Nostri subjectionis et fidelitatis affectum, quem omnes Status et Ordines Oswiecimensis et Zathoriensis Ducatuum, vel potissimum meo erga Nos et Rempublicam Regni Nostri declararunt, quod facile et spontanee sede Regni Dominiis Nostris adjunxerunt et incorporaverunt, dignumque putantes eos, quos ad Corpus et gremium Regni Nostri ascivimus ad Jura, Privilegia, libertates, et praerogativas quoque illius esse suscipiendas. Ea propter ad supplicationem Civium Nostrorum Zatoriensium infrascriptas praerogativas ex speciali clementia et benignitate Regia Nostra eisdem dandas, et concedendas duximus, damusque et concedimus, hisce Literis Nostris perpetuis temporibus duraturas. Imprimisque volentes ut praefata Civitas Nostra Zathoriensis tempore felicis regiminis Nostri ad meliorem conditionem deveniat, uberioraque accipiat incrementa, eidem Civitati Zathoriensi, prout in suis limitibus ex antiquo consistit, Jus Theutonicum cum omnibus Juris ejusdem punctis, articulis et conditionibus dandum, Civitatemque praedictam de Jure eorum antiquo Ducali seu Silesitico in Jus Theutonicum, quod Maidemburgense dicitur, transferendum, duximus, damusque et transferimus tenore praesentium mediante perpetuo duraturum: Removendo ibidem omnia et singula Jura Polonicalia, modos et consuetudines universas, quae Jus Theutonicum solita sunt,

et consueverunt perturbare, nec non eximendo et liberando Cives et Incolas Civitatis praedictae Zathoriensis ab omni Jurisdictione omnium et Singulorum Palatinorum, Castellanorum, Capitaneorum, Tenutariorum, Burgrabiorum, Succamerariorum, Judicum, Subjudicum, Ministerialium, caeterorumque Dignitariorum et Officialium Regni Nostri ita quod coram Ipsis, aut eorum aliquo pro causis, tam parvis, quam Magnis, puta furti, homicidij, incendij, membrorum mutilationis et alijs enormibus casibus citati minime respondebunt, nec aliquas poenas solvere tenebuntur sed coram Advocato duntaxat suo, Advocatus vero pro tempore existens coram Nobis, aut Judicio Nostro generali, Literis Nostris Sigillo Nostro Signatis citatus, et hoc si reddenda alicui justitia remissus aut negligens fuerit, Jure tamen Theutonico praedicto omnibus de se querentibus respondere sit astrictus. Cui quidem Advocato pro tempore existenti in casibus praedictis Criminalibus, seu Capitalibus, et causis exinde emergentibus judicandi, sententiandi, puniendi, plectendi et corrigendi, plenam et omnimodam damus potestatem, prout hoc ipsum Jus Theutonicum perstringit, et omnibus suis Articulis postulat, et requirit, ea tamen lege, et Conditione, quod a Judicio Scabinali dictae Civitatis Zathoriensis, juxta morem, et consuetudinem aliarum Terrae Cracoviensis Civitatum appellationes omnes primum ad Jus supremum Arcis Nostrae Cracoviensis, ac tandem ad Nos et Tribunal Nostrum, uti Supremum Judicem omnium Judiciorum Regni Nostri dirigendae et devolvendae sunt; Quoniam vero ipsi Cives Zathorienses documentis authenticis Juramento comprobatis Nobis declararunt, quod nunquam antea ad Custodiam Arci Nostrae Zathoriensis in personis proprijs obeundam aut conducendam tenebantur, verum pro Custodibus duobus, quos Burgrabius Castrensis Zatoriensis conduce solebat, ex aerario Civili publico Annis Singulis pretium Octo Florenorum monetae et numeri Regni Nostri pendere consweverant: Ideo Nos volentes majoribus oneribus eos hac in parte premi,

ab ejusmodi Custodia in personis illorum proprijs praestanda seu conducenda, eosdem Cives Zathorienses liberos et absolutos perpetuis temporibus facimus; Ita tamen, ut juxta antiquam consuetudinem duobus Custodibus per officium Capitaneale conductis, singulis Annis pretium octo Florenorum in moneta polonicali numerent, et solvant. Volumus praeterea ut Civitas Zathoriensis ejusque Incolae more aliarum Civitatum Regni Nostri liberam potestatem habeant, quosvis liquores vini Malwatici, muscatellae, medonis, et alios cujuscunque generis potus, propinandi, et libere divendendi. Et quia relatum sit Nobis non modicam jacturam in mensuris braseorum fiscum Nostrum exeo pati, tum etiam Contributionem Ducillarem, quoties pro Republica instituitur minui, qua Cerevisia Marcz dicta Incolis ejusdem Civitatis per Officiales Nostros braxari prohibetur: Ea propter tam Nostris, quam Reipublicae proventibus et utilitati Ipsorum Civium Zathoriensium hac in parte prospicere volentes, damus eisdem plenam potestatem Cerevisiam utramque tam communem (quam) vulgo Marcz dictam braxandi, et divendendi, noreque Civitatis Nostrae Cracoviensis propinandi, idque eo pretio, et mensura, qua Civitas Nostra Cracoviensis utitur, vel prout Officium Consulare ibidem in Zathor pro ratione temporis et caritate tritici pretium imposuerit. Ac insuper praecaventes, ne in statuendo pretio rebus mechanicis per Officium Palatinale Cracoviensi Artifices Zathorienses onerentur, quemadmodum eo minime apud nos questi sunt, statuimus, quod Artifices et Incolae Zathorienses Civitatis, ad nullam aliam et diversam constitutionem rebus mechanicis observandam tenebuntur, nisi ad eam et talem, quae in primaria Civitate Nostra Cracoviensi constituta, et per Artifices suscepta fuerit. Expositum quoque Nobis est praefatos cives Zathorienses in eo magno praejudicio, et injuria affectos esse; quod et si agri Nostri Praediales ibidem ex utraque parte stratae publicae jacentes, agros illorum in tergum seu latus Nostrum sitos

interclusserint, ita quod in agros suos nullibi eisdem commodius pateat, aditus, nihilominus tamen pecoribus et pecudibus, eorum per agros Nostros incultos vulgo Ugor dictos liber transitus seu expulsorium Wygon appellatum ad agros suos per Capitaneum Nostrum, seu Officiales illius denegatur, et pascua contra usitatam et antiquam consuetudinem eisdem prohibentur. Nos itaque nullam jacturam Agris Nostris tum temporis incultis ex eo inferri intelligentes, damus eam praerogativam Civibus Zathorienensibus, quod nunc, et in posterum semper licitum eis erit per agros Nostros incultos Ugory dictos expulsorium pro pecoribus, et pecudibus, armentisque suis habere, pascuisque libere uti sine Capitanei Nostri, et alterius cujusvis contradictione et impedimento. Quod ad universarum, quorum interest, praesertim vero Magnifici Stanislai Mirkowski a Mirow Palatini et Cracoviensis Generalis, Rathnensisque Capitanei, tum Generosi Sigismundi Mirkowski Oswiecimensis Zathoriensisque Capitanei Nostri modernorum, et aliorum pro tempore existentium Palatinorum, et Capitaneorum notitiam deducentes, mandamus, ut praefatos Cives Nostros Zathorienses in suprascriptis praerogativis eisdem a Nobis gratiose concessis inviolabiliter conservent, ab alijsque conservari faciant, neque ipsos in usu earundem ullo unquam excogitato modo impediant, verum a quavis impetitione quorumlibet Personarum ratione praemissorum eosdem tueantur, et defendant. Pro Gratia Nostra. In quorum omnium, et Singulorum fidem ac evidentius testimonium praesentes Literas Nostras Sigilli Nostri Majoris appensione communiri mandavimus. Actum et Datum Lublini in Comitijs Regni Nostri generalibus, Feria Quarta in Octava Purificationis Beatissimae Mariae Virginis: Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Nono: Regni vero Nostri Anno Quadragesimo. Praesentibus Reverendissimo et Reverendis in Christo Patribus Dominis

Jacobo Uchanski Archiepiscopo Gnesnensi Legato Nato et Regni Nostri Primate, Philippo Padniewski Cracoviensi, Stanislao Karnkowski Wladislaviensi, Pomeraniaeque, Adamo Konarski Posnaniensi, Alberto Starozrebski Chelmensi Episcopis, nec non Magnificis, Generosis, ac Venerabilibus, Sebestiano Mielecki Castellano Cracoviense, Brestensique, Stanislao Miskowski de Mirow Cracoviensi et Generali Cracoviensi, Rathnensique Petro Zborowski Sandomiriensi, Stobnicensique, Joanne Sziratkowski Lanciciensi Przedecensique, Joanne de Sluzewo Brestensi, et Coninensi, Migdrirrecensique, Joanne Firley de Dambrowica Lublinensi, Regni Nostri Marschalco, Rohatinensique; Andrea Dembowski Betzensi, Rubieszowiensique, Arnolpho Uchanski Plocensi, Wischogradiensique, Achacio Czema Pomeraniae Gnievensique, Fabiano Czema Mariaemburgensi, et Tucholiensi Stargardiensique, Palatinis et Capitaneis, Stanislao Sobek de Suleiow Sandomiriensi, Regni Nostri Thesaurario, Malogostensi, Thisrowensique, Joanne Mielezki Woynicensi, Grodecensique, Andrea Dembowski Siradiensi, Lanciciensique, Adamo Drzewicki Juniwladislawiensi, Gostinensique, Stanislao Herborth de Fulstyn Leopoliensi et Samboriensi, Drohobiensi ac Zupparum Russiae Praefecto, Christophoro Lupecki Lublinensi, Anshelmo Gostomski Plocensi, Ravensique, Hieronimo Ossolinski Sandecensi, Nicolao Firley de Dambrowica, Nicolao Ligeza de Bobrek Zarnowiecensi, Nicolao Tarlo de Szczekarzewice Radomiensi Pilznensique, Alberto Przyiemski Landensi, Joanne Christoporski Wielunensi, Joanne Gologorski Haliciensi, Joanne Herborth de Fulstin Sanocensi, Joanne a Dzialyn Dobrinensi Nieszowiensique, Francisco Russocki Naclensi, Stanislao Wiszocki a Budrislaw Biechowiensi, Stanislao Szupski Inowlocensi, Stanislao Sziratkowski Rippenensi, Raphaele Sladkowski Conariensi Castellanis, et Capitaneis Valentino Dembienski de Dembiany Regni Nostri Cancellario, Francisko Krasinski Regni Nostri

Vicecancellario Praeposito Plocensi Archidiacono Calissiensi, et Gnesnensi, Cracoviensique Canonico, Stanislao Sandiwojio Czarnkowski Commendatore Posnaniensi, et Capitaneo Drahimensi, Stanislao Ossowski Cantore Gnesnensi Scholastico Wladislaviensi, Curiae Nostrae Referendarijs, Joanne Borkowski Praeposito Lancisiensi et Cracoviensi, Varsaviensique Canonico, Joanne Zaborowski Praeposito Sandomiriensi Stanislao Zamoiski Secretarijs Nostris et alijs, quam plurimis Dignitarijs, Officialibus, Capitaneis, Aulicis et Secretarijs Nostris testibus circa praemissa. Datum per Manus praefati Magnifici Valentini Dembinski de Dembiany Regni Nostri Cancellarij, Sincere Nobis dilecti Valētig Dąbieski R. P. Cancę̄ sst. Relatio Magnifici Valentini Dembienski de Dembiany Regni Poloniae Cancellarij cct. Locus Sigilli pensilis in cera expressi Majoris Cancellariae Regni. Tertiarum vero Literarum tenor est talis =

„Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae, „Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae „Samogitiaeque cct. Dominus et Haeres. Significamus „praesentibus Literis Nostris, quibus expedit universis, „et singulis, praesentibus, et futuris harum notitiam „habituris. Expositum Nobis esse nomine Famatorum „Praeconsulis, et Consulum totiusque Communitatis „Oppidi Nostri Zator Privilegium seu Literas per Divum piae memoriae Sigismundum Poloniae Regem Parentem Nostrum, desideratissimum eidem Oppido gratiose concessas, continentes in se Donationem Juris perpetui, et approbationem quietae pacificaeque possessionis certarum piscinarum in fundo, et pascuis ejusdem Oppidi Communitatis expensis extructarum, casu infausto, cum easdem Literas, unacum pluribus alijs per quendam Concivem suum Lublinum, ad celebrationem Comitiorum modernorum Lublinensium in negotijs publicis

ejusdem Oppidi nisissent perijsse, cuius quidem rei evidentissima et authentica documenta Nobis ex Actis Castrensibus Cracoviensibus Capitanealibus exhibita sunt, ubi tam is, qui dictas Literas amisit, quam Proconsul, Consulesque suo ac totius Communitatis nomine corporale praestiterunt, Juramentum super amissione praedictarum Literarum, et contentis omnibus earundem. Supplicatumque Nobis humiliter per certos Consiliarios Nostros, quo pro praedictis Oppidanis Zathoriensibus Novum Privilegium seu Literas, in locum deperditarum dare, et concedere dignaremur. Quorum supplicationibus uti justis benigne annuentibus eidem Oppido Nostro Zator easdem piscinas, quas in arvo, seu planitia fundi ipsorum ubi pascua antehac habebant, proprijs impensis effodi, extruique numero undecim curaverunt, atque eis haec nomina indiderunt, Przekopni, Patcrewski, Stari, Przedzick, Posredni, Dąmbkowny, Glowacz, Sirotek, Tomirki, Gorski, Chobotek, cum omnibus et singulis ex eisdem praefatis piscinis utilitatibus, et emolumentis pro commodo praefati Oppidi publico dantibus, et concedentibus Jus proprietatis perpetuae, et quietae, ac pacificae possessionis ducimus, prout authoritate Nostra Regia praedictis Oppidanis Zatoriensibus Jus plenarium proprietatis perpetuae, ac quietam pacificamque possessionem damus, et concedimus praefatasque piscinas usui illorum perpetuo, et in aevum adferibimus harum Serie literarum. Quas piscinas praedicti Proconsul, et Consules Oppidi Zator, tenebunt, habebunt, possidebunt, ad easdemque aquam canalibus seu alveis derivabunt, ac deducent, sine omni impedimento, ac contradictione et pro Oppidi utilitate, quae melior et potior illis videbitur, ipsorum usus et commoda convertent, temporibus perpetuis. In cuius rei fidem Sigillum Nostrum praesentibus

est subappensum. Datum Lublini in Conventu Generali Regni Die Nona Mensis Julij Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Nono, Regni vero Nostri Anno Quadragesimo, Valentiq Dębyeski R. P. Canc. Srst. Relatio ejusdem Magnifici Valentini Dembrenski de Dembiany Regni Poloniae Cancellarij est. Locus Sigilli Majoris Cancellariae Regni pensilis in cera expressi. — Nos itaque Stanislaus Augustus Rex Poloniae praefatae supplicationi nomine et pro parte Civitatis ac Civium Nostrorum Zathoriensium per Consiliarios ad Nos factae, clementissime annuendo prae insertas Literas seu Privilegia in omnibus earum punctis, clausulis, articulis, nexibus, ligamentis, et conditionibus approbantes, confirmantes, et ratificantes esse duximus, prout quidem approbamus, confirmamus et ratificamus hisce Literis Nostris, decernens easdem vim, et robur debitae, ac perpetuae firmitatis [in quantum juri publico non repugnat] obtinere debere. In quorum fidem praesentes Literas Manu Nostra Regia Subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsoviae Die IV^a Mensis Januarijs Anno Domini MDCCLXXII^do Regni vero Nostri VIII° Anno.

Stanislaus Augustus Rex

Joannes Karnicki Praefectus Arcium Ducatus Livoniae S. R. M. et Minoris Sigilli Regni Secretarius mp.

Confirmatio Literarum seu Privilegiorum Civitati Zathoriensi in Ducatu Zatoriensi sitt Serviensi.

Pro-Cancellariatu

Illustrissimi ac Excellentissimi Domini Domini
Joannis in Warklany Prete Comitis
à Borch
Pro-Cancellarii Regni Lucinensis Baugieliscensis
Oztuchoviensis et Capitanei

Sigillatum

Est in Actis

scripsit.

8)

Dokumenty uszkodzone

I. Privilegium Zaviconum Sigismundi III. Datum Cracoviae 1595. Pismo zniszczone zupełnie na składaniu. U spodu tylko sznurek od pieczęci. Format 67:50 cm. Obejmuje wierszy 56. nie licząc tytułu i podpisów. Podpis Zygmunta i Pawła Kossudzkiego(?!) Wierszy 56. nie wliczając tytułu i podpisu. —

II. Przywilej Zygmunta III. Pellionum Zathoriensium. Datum Varsoviae 26 Febr. 1631. Pismo prawie w zaniku. Pergamin liniowany. Format 56:64 cm. Zawinięcie nadto 10 cm. U spodu pieczęć na sznurku, Pieczęć z puszce żelaznej dość dobrze zachowana. Środek pergaminu wraz z pismem uszkodzony przez dwa rozdarcia. Przy zaczepieniu sznurka również rozdarty pergamin lecz niezapisany.
Podpis Zygm III i Dapifera [illegible]kiego

III. Przywilej Zygmunta Augusta z 1569. Datum Lublini. Podpis nieczytelny /... Gabryelski R. P. lane — i Walenty Dembiński. Zaledwie resztki z dokumentu, brak nawet sznurka od pieczęci, gdyż w tym miejscu urwany kawałek dość wielki. Z górnej strony również urwany kawałek dość wielki. Format 55:34. Pisma wierszy 17. Z tego możebne zaledwie 7 wierszy z trudem do przeczytania.